

MA.

erti et sudore, in-
s:

es,
fidus;
am,
amine!
è!
amine.
i,
ulo,
mina
ssipat.
è!

buntur pavidī!
ui gratia,
riosus cecidit,
orians pro patria.
agemus maximas,
orem victoriam,
cas in subsidium
qui tutamini
biverunt meritis.
prosequatur pre-
[cibus
cum caelitibus.¹
nam dicit:
ata ab hostibus
consilio,
ectores optimi.
s dicetis pueris,
nue pugnativimus?
rescamus, alacres,
que patriae.
rum plausum date!

t, Sponsor.


TTIS VATICANIS.

ALMA ROMA



C. DEL VECCHIO.

QVIDQVID NON
POSSIDET ARMIS
RELLIGIONE
TENET



NUMMARIA MENSA ROMANA

(BANCO DI ROMA)

SOCIETAS ANONYMA EX SOLUTA SUMMA LIBELL. 150.000.000

Sedes caput et suprema gubernatio Romae in propriis aedibus

Corso Umberto I, N. 307 (Piazza S. Marcello)

Sedes filiae in Italia praeter 200

...

Sedes filiae apud exteris gentes:

In Gallia. - Parigi, Lione.

In Hispania. - Madrid, Barcellona, Tarragona, Montblanch, Borias Blancas, S. Coloma de Queralt, Valls.

In Helvetia. - Lugano, Chiasso.

In civitate libera Flumana. - Fiume.

In Aegypto. - Alessandria, Cairo, Porto Said, Mansourah, Mit Gamr, Tautah, Beni Mazar, Beni Souef, Fayoum, Magagha.

In Turcarum imperio. - Constantinopoli.

In Asia minore. Smirne, Adalia.

In Syria. - Aleppo, Beyrouth, Damasco, Tripoli.

In Palaestina. - Gerusalemme, Caiffa, Giaffa.

In insula Melita. - Malta.

In Aegeo mari. - Rodi.

 **Omnia pertractantur quae propria Mensae Nummariae sunt.** 

Pro "ALMAE ROMAE,, Sociis

apud Commentarii Administratorem opuscula latine scripta venum dantur, pretio quod sequitur:

IOSEPHI FORNARI **Communia vitae.** Phrases et formulae ad latina colloquia instituenda. - Fasc. I: *De saluatoriis formulis, De valetudine percontatio, Morbi, Medicamenta.* - Lib. 2,60. — Fasc. II: *Voces animalium, De officiis.* - Lib. 3,00.

IOSEPHI FORNARI **Fridianus et Francisculi prandium,** Milesiae fabulae scenis accommodatae apud ephebea facile agendis. - Singulae lib. 2; ambae lib. 3.

HERMINII IACOBELLI **In campo latinitatis novi flores.** - Si tegumento solut. lib. 4; si xylina structura aureoque titulo, lib. 5.

I. B. FRANCESIA **Euplius, Ad Romam,** Actiones dramaticae. - Singulae lib. 1,50.

(Iis vero qui extra Urbem hos libros mitti iubeant, addendum erit publici cursus pretium, iuxta normam libell. 0,60 pro singulis exemplaribus).

ALMA ROMA

LATINITATIS PRAECONIUM SINGULIS MENSIBUS EDITUM

Pretium annuae subnotationis est pro Italia libell. 12; pro Anglia shell. 12,50; pro Batavia flor. 7,50; pro Hispania peset. 15; pro Civitatibus Foederatis Americae septentrionalis et Canada doll. 3; pro Gallia, Helvetia, Belgica ceterisque universi orbis nationibus franc. 15 *ante solvendum rectoque tramite mittendum* ad IOSEPHUM FORNARI doctorem, *Romam, 12, Via del Governo Vecchio, 96.*

MONITA.

Ut in superiore numero nunciavimus, fasciculus alter phrasium et formularum ad colloquia latina instituenda a nobis editus est, cui titulus:

COMMUNIA VITAE.

Voces animalium - De officiis.

Pretium huius fasciculi est libell. 3 Romae; extra Urbem addendum erit publici cursus pretium, iuxta normam libell. 0,60 pro singulis exemplaribus.

Monemus quoque lectores nostros nonnullas ALMAE ROMAE **collectiones** nos recens componere integras valuisse, quas venales constituimus pretio libellarum 200 pro Italia; duplicato pretio, libell. scilicet 400, pro exteris gentibus, suae pecuniae valorem maiorem habentibus quam Italicae pecuniae valor nunc est.

Hae vero collectiones, adiecta in literis pecunia per nummariam syngrapham (vulgo *chèque*) in Urbe exigendam, *recto tramite* requirendae sunt ab ALMAE ROMAE administratore (*Roma, 12-Via del Governo Vecchio, 96*): quod enim pretium posuimus, non sinit ut foenus aliquod bibliopolis, vel mediatoribus quibusvis rependere possimus.

A. R.

QUIBUS PRINCIPIIS NITI DEBEAT

VERA NATIONUM SOCIETAS¹

III.

Is esse debet supremus Societatis Nationum scopus, germanitatem illam tueri et integram custodire.

Ad quem finem obtinendum, duo praestanda videntur, nempe ut singulae gentes per propria media, iuxta uniuscuiusque indolem, prosequi, et sese evolvere motu intrinseco, absque coactione, valeant, et concordia inter omnes nationes ita vi-geat, ne unquam iustitia naturalis aut ius gentium violentur. Hac ratione induci poterit pax summa, quae vocatur ab Augustino « tranquillitas ordinis ».² Animadvertas quam pulchra et plena et egregia sit definitio haec ab Hipponensi Doctore tradita. Pax non est tranquillitas tantum, eo quod possit haberi tranquillitas apparens, fucata aut coacta, vel prava, sicut etiam sunt mala mentis gaudia; nec est ordo tantum, eo quod possit ordo perturbari, violari, sperni; sed pax est simul

¹ Cfr. fasc. sup.

² Cf. AUGUSTIN., *De Civitate Dei*, lib. XIV, c. XIII, P. L., XLI, 640.

tranquillitas et ordo, scilicet tranquillitas in ordine, et ordo in tranquillitate, seu melius, tranquillitas ordinis.

Iamvero quid sit ordo exponit Augustinus, ibidem: «parium – nempe – dispariumque rerum sua cuique loca tribuens dispositio». Importat igitur ordo multitudinem, inaequalitatem ac diversitatem, parium dispariumque rerum; et simul unitatem, ut scilicet res illae diversae in unum coeant, unaquaeque in propria destinatione consistat, et omnes ad aliquid commune conspirent: «sua cuique loca tribuens dispositio». Et haec unitas est principium ordinis.

Ut igitur vera constituatur societas nationum, oportet tueri simul et iura diversorum ac dissimilium populorum, et unitatem, quae ordinem custodiat, et impediatur ne oriantur conflictus.

Imprimis agnosci et attendi debent gradus, inaequalitas, quae ex ipsis rerum naturis resultant: sicut homo supponit Deum, familia subaudit hominem individuum, et patria post familiam, et humanitas universa post patriam venit. Hic ergo in dilectione servandus erit ordo, ut ante omnia et super omnia diligatur Deus, deinde pater et mater, et ceteri qui intra familiae limites continentur; deinde patria, demum humanitas universa; tametsi, sub alio respectu, quemadmodum pars propter totum, ita familia operetur et patriatur propter patriam, et patriae omnes in bonum totius humanitatis, oportet. Fas non est societati nationum ordinem invertere, qui a naturae auctore oritur, aut quod Deus coniunxit separare.

IV.

Inde aliud fluit principium: sicuti homines singuli, dum membra fiunt familiae vel patriae, non ideo amittunt esse individuum et personam propriam, ita necesse est ut in societate nationum singulae gentes, etiam quae parvae et exi-

guae dicuntur, nedum absorbeantur, imo cum sua propria indole sese evolvant. Quum enim progressus sit in vita et vitam varietas iuvet, diversae illae nationes, seu diversi nationum «typi» (*les types nationaux*) ad prosperitatem totius conspirant. Quapropter parvas gentes ac typos illos suppressere aut absorbere, esset sterilitatem inducere, ac violentiam, quae vindictam minatur. Quo sensu scribebat Benedictus XV. die 20 Iulii 1915: *Les nations ne périssent pas. Humiliées et opprimées, elles portent en frémissant le joug qui leur est imposé et préparent leur revanche.*¹

At, si singulae gentes ius habent conservandi «esse individuum» ac vitam propriam, ipsis quoque ius esto retinendi formam regiminis, quam sibi libere elegerint, vel aliam, pro temporum opportunitate, assumendi. Quod egregie exponit Leo XIII, in encyclica *Immortale Dei*. «Ius autem imperii – inquit – per se non est cum ulla reipublicae forma copulatum: aliam sibi vel aliam assumere potest, modo utilitatis bonique communis reapse efficientem».²

Una Christi Ecclesia formam habet immutabilem voluntate Conditoris, qui erat, qui est, qui venturus est, nam *Iesus Christus heri, hodie et in saecula*.³ At ceterae societates civiles recte possunt aliam sibi formam, vel aliam assumere.

Abusus ergo rea fieret societas nationum, si decerneret unam dumtaxat in posterum fore regiminis formam, ceterasque esse prorsus illicitas et eliminandas. Quemadmodum ius proprietatis privatae debet in singulis hominibus inviolatum consistere, ita quoque debet in singulis populis integrum remanere ius propriam

¹ *Acta Apostolicae Sedis*, t. VII, p. 365.

² LEONIS Papa XIII, *Opera*, vol. V, pp. 120, 121.

Cf. *Lettre encyclique aux Archevêques, Evêques, au clergé et à tous les catholiques de France*, 16 Fév. 1892.

³ *Ad Hebr.*, XIII, 8.

regiminis formam eligendi, secus non essent proprii iuris, nec rationem societatis absolutae retinerent.

In hypothesi tamen qua gens quaedam abusa esset forma in se legitima contra finem generalem et bonum omnium commune, iam ad societatem nationum spectaret efficaces adhibere sanctiones, iuxta inconcussa fundamenta iuris naturalis et iuris gentium.

V.

Iterum valet concentus populorum statuta condere de pace servanda, de armis paullatim suppressendis, pacta tot communire praesidiis, ut bellorum pericula minuantur, et lites ac dissidia per arbitratum componantur. Verum potestne societas nationum hunc rerum ordinem stabilire, ut bellum nullo casu nullave ratione unquam fiat?

Licet res in se inspecta optanda foret, non tamen possibilis evaderet. Imprimis quippe ius belli gerendi iustis de causis pertinet ad integram constitutionem reipublicae perfectae, et id poscit ordo naturalis, ut scite animadvertunt Doctor Hipponensis et Doctor Angelicus: «Ordo naturalis paci accommodatus – ait Augustinus – hoc poscit, ut suscipiendi belli auctoritas atque consilium penes principes sit».¹

Quare, si nulla gens in posterum retineret auctoritatem suscipiendi belli iustis de causis, nulla iam remaneret respublica completa, perfecta; sed unica societas absoluta in terrarum orbe foret societas gentium, ac ceterae iam proprio iuri cederent.

At posuntne huic iuri renuntiare, nisi certo ipsis constet ordinem nunquam violatum iri in futurum?

Si reponatur, omnes dissidiorum causas ita deinceps esse eliminandas, ut nun-

quam iustitia laedatur, aut per arbitros componendas, ut locus unquam esse nequeat bello, iam inducitur chimaera, seu potius oblivioni datur dogma originalis peccati.

Hoc est itaque principium semper recolendum, quod tamen minime attendunt plures viri, qui societati nationum extruendae operam navant, humanitatem nostram eam non esse quam ipsi fingunt, absque naevo, macula, vitio, propensione ad malum, sed, e regione, humanitatem lapsam, infirmam, quae liberum arbitrium habet viribus attenuatum et inclinatum, ut loquitur Concilium Tridentinum.⁴

Exponit Apostolus magna eloquentiae vi tantam in genere humano esse peccati servitutem, ut nequeat liberari et bonum facere nisi per gratiam Christi «Velle adfacet mihi, perficere autem bonum non invenio.. Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis huius? Gratia Dei per Iesum Christum Dominum nostrum».² Concludit pariter S. Augustinus *decem mandata* non posse hominem adimplere, nisi gratia adiutum.³ Doctrina iam catholica est, licet non definita, quam exponit Angelicus,⁴ imparem esse hominem servando decalogo et diu vitandis peccatis absque gratia Mediatoris.

Si autem nequit homo, qua individuus, legem naturalem absque divino auxilio adimplere, quomodo valebunt nationes ipsae, tali subsidio destitutae, praecepta decalogi custodire, ius gentium tueri, atque fidem pactorum et iuramentorum ita servare, ut praecaveantur omnes belli casus? Quocirca praedixit Christus bella fore usque in finem saeculorum, imo inter signa quae consummationem omnium prae-

¹ Sess. VI, cap. 1. – Quod fuse exponimus in nostro libro *De gratia*, q. II, Paris, Lethielleux.

² *Ad Rom.*, VII, 14-25.

³ S. AUGUSTIN., *Serm. XLVIII*, c. IX, etc.; *P. L.*, XXXVIII, 1160.

⁴ *Sum. Theol.*, Ia, IIae, 109, a. 4 et a. 8.

¹ S. AUGUSTIN., *Contr. Faust.*, lib. XXII, c. LXXV; *P. L.*, XLIII, 448.

nuntiabant, ponit *bella*, pestilentias et fames.¹

Hinc iterum concluditur gentes ipsas indigere virtute Salvatoris atque ope et efficacia religionis, nec remedium afferri posse, nisi constituatur iterum « christianitas », vera societas nationum, et stabilatur pax Christi in regno Christi, ut monet Summus Pontifex Pius XI.

(Sequitur).

EDUARDUS HUGON, O. P.

¹ MATTH., XXIV.

S. ALFONSUS M. DE LIGORIO

musices non minus
quam carminum auctor

Sanctus Alfonsus M. De Ligorio musicen non minus quam poësim egregie callebat; itaque suos versus apto etiam cantu exornare solitus erat. Ex huiusmodi cantilenis complures, certa et constanti traditione, ad nos usque pervenerunt: quod profecto dicendum est de modis, quibus in Italia nonnulla eius poemata cani adhuc solent. Hae cantilenae omnino faciles sunt ac populares; et in iis commentandis huc spectaverat Alfonsus, ut lubricis et profanis cantionibus, quae passim in usu erant, pia opponeret carmina, quae a populo concinerentur.

Verum, praeter huiusmodi cantilenas populares, composuit etiam Alfonsus in alterum eorum carminum, quae de Passione Dominica scripsit, opus musicum mira arte elaboratum, quod apud peritos in summa est existimatione. In eo cantu, recitat primum vox singularis *Apostrophæ ad Pilatum*, Christumque describit Calvarium petentem. Tum sequitur *Dialogus* seu *Bicinium inter Christum et animam*. Vocibus autem additur sonus fidium et cymbali ab Alfonso similiter notatus.

Hoc opus, quum, ante aliquot decennia, Londini primum in lucem fuisset editum, iterum typis mandatum est Vindobonae anno MDCCCXCV. Utraque autem editio refert codicem scriptum, cui, Londini in Museo Britannico asservato, hic est titulus: « *Duetto tra l'anima e Gesù Cristo, con violino, del Rîno P. D. Alfonso di Liguori, Rettor Maggiore del SSîno Redentore. A. 1760* ». Scriptura quidem Londinensis e manu s. Alfonsi non prodiit; at duas habet in textu immutationes, propria Alfonsi manu adiectas.

Hoc celebre bicinium commemorabat iam, sub initium elapsi saeculi XIX, fidus Alfonsi biographus Antonius Tannoia, qui quum dixisset Alfonso etiam senem, musicam et poësim non intermisisse, haec subdit: « Inter eius cantus, Dialogum habemus inter animam et Christum dira quaeque passum: quem decantari iussit inter catechesim et concionem, quo tempore exercitia spiritualia tradebat Neapolî, in ecclesia S. Trinitatis a peregrinis nuncupata ».

En carmen de quo agimus, quod ipse integrum latine reddere contendit:

APOSTROPHE AD PILATUM.

Pilate, quem tu, iudicum nequissimus, Es innocentem saepe fassus, siccine Iesum, bilinguis impudensque, pessimi Latronis instar, in crucem iubes agi? Quid profuit, cruento, flagris cadere, Quem mox atroci destinabas funeri? Minor fuisset culpa, culpa nescium Neci dedisse, turba quum ferociens Ferale primum *Tolle! Tolle!* sustulit?

At iste quo spectat tumultus militum? Quo plebis, hinc plaudentis, inde flebilis, Confusa vox, acri subinde buccinae Clangore tecta? Fertur heu! sententia, Iniquitas qua damnat Innocentiam. Iam cerne (res indigna!) cerne sanguine Iesum madentem, dum solutis viribus,

Procedit incerto gradu, vestigiis Signans cruentis, quam perambulat, viam. Tralalis illi crux flagellis saucium Collum premit, premuntque sarta spinea Frontem, supremi quam verentur Caelitum. Divine Rex! hac te corona ludicra, Hac te cruenta cinxit una Caritas!

DIALOGUS

INTER ANIMAM ET CHRISTUM.

A. - Quo, Christe, pergis?

CH. - Scandere
Pro te laboro Golgotham.

A. - Ergo meorum criminum
Poenam luendam suscipis;
At me videbis alteram,
Mori paratam, victimam.

CH. - Consiste, vimque cogita
Amoris erga te mei;
Ac me vicissim dilige,
Quum funeratum videris.

Consiste, meque mutuo
Amoris auge praemio:
Dona cor ipsum, perpeti
Mihi sacrandum foedere.

A. - Tu grata, Rex amabilis,
Et aequa poscis munera;
Cor ergo, meque, foedere.
Tibi perenni consecro.

F. X. REUSS.

CRUCIS SIGNUM

multis iam ante Christum saeculis
tamquam vitae nota habitum

Quae sum hîc traditurus, iuvenis ego a Mariano Armellino accepi, clarissimo illo Ioannis Baptistae De Rossi discipulo, qui nimis heu! maturo fato concessit; felix quamquam, cui contigit supremum spiri-

tum in schola improviso edere, quum sacrae antiquitatis Urbani Pontificii Collegii de Propaganda Fide alumni doctrinam tradens, verborum vim exponeret, quae passim in Christianorum antiquis sepulcris leguntur: « A terra ad Martyres ». Profecto in eius adventu Martyres eum susceperunt!

Ille igitur nos admonebat ne admirationem susciperemus, quum diceret crucis signum multis iam ante Christum saeculis, haud explorata satis traditione, redemptionis, vitae atque beatitudinis notam fuisse. Indubium est enim apud populos veteris Aegypti, tot mysteriis implicitae, vitae signum, quod *Ank* nuncuparunt, crucis formam praeseferre. Quod quidem signum vocatum est etiam « clavis Nili fluminis », et flumen ipsum a vita dictum, atque numinum praecipua nota. Serapidis autem templo deleti, eius et in petris signum idem, tamquam immortalitati servatum, recognitum est. Thebis deinceps, ac Memphi, sphingis immobili custodia tecta, crux veluti aenigma futuris solvendum saeculis, in obeliscis, in hypogaeis, in Pharaonum feretris exstitit.

Nemo igitur oppugnet antiquitatis populos, ignota - inquam - ex traditione, salutis atque felicitatis sensum cruci tribuisse. Sic in ultimo Oriente Brahmae discipuli *soastika* illud vocabant signum, quod nos vulgo *crucem gammatam*, vel *Gazae crucem* appellamus.

Quod si ex torridis Asiae regionibus ad rigidas poli terras ascenderimus, ibi quoque crucis signum virtutem suam peculiarem indicans inveniemus. Aderat venerabile indicium in septentrionali quoque mythologia suamque vim servabat, sacrumque veluti stigma omnibus imponebatur, quae divinis templis inserviendis adhiberentur.

Quid plura? Ignota sane historica impellente causa, cuius tamen effectus censura perquam rigida, quam vulgo *artem*

criticam nuncupamus, probavit, crucis forma in Americanis ipsis terris reperta est, quum Cortesii atque Pizzarri legiones eas occuparunt. Quod quidem adfirmare possumus viri auctoritate innixi, quem hodierni philosophi omnes magni faciunt, Alexandri Humboldt, qui scripsit haud ferme inter fictas fabellas cruces illas referendas esse, quae Cozumel et Yucatan invasores tanto stupore perculerunt.

Atqui plures scriptores, quum recens inquirerent quanam de causa inter barbaras utriusque Americae tribus crux reperta fuerit, id commercii cum Hiberniis antiquitus commutatis tribuerunt, quae saeculo decimo Groënlandiam terram invisere. Difficultatis vero nodus non ita solvitur. Profecto haud inficiamus, Groënlandenses vel, si melius arrideat, Nestorianos Sinensis Imperii fideles, procella forte in Californiam peninsulam iactatos, crucem ad Americas afferre potuisse; at signum illud diu ante eam aetatem inter *astechas* litteras proculdubio conspiciebatur. Exstabat enim sacras inter picturas et primi peccati, et diluvii, et babelicae confusiois memoria; ecurr igitur christianae fidei nota novis etiam in terris Christum non praecurrit, velut in antiquis ante venerat? Quid enim mirandum magis atque insignius, quam crucem in *Pentateuchon* sacris libris decimoquinto ante Christum saeculo reperire, eamque a David, psalmorum vate, descriptam audire, et ab Ezechiele propheta significatam mille ante Incarnationem annis? Propheta « Iustum » repraesentat insueto morientem supplicio hebraicis legibus prorsus ignoto, quibus vix octoginta post et octingentos annos additum est a Romanis.

Aeschylus ipse, Eleusinis sacris initiatus, mythologicam traditionem revocare videtur, quae narrabat Prometheus Caucasum in monte super cruce expositum; idque ut plane significaret, numen ad alterius numinis iram placandam pati.

Quid iam? Plato etiam, Nili fluminis in templis frequens discipulus, tam fideli traditione « Sanctum » flagellis percussus, ac deinde crucifixus exhibet, ut vel Iacobum Rousseau exclamare coegerit: « Iesum Christum ad unguem scriptor describit! »

Quare, usque dum quispiam contraria probaverit, sacrum crucis signum iure habendum est veluti pignus divinae sponsonis in Eden elicite, hominibus quodammodo revelatum, qui ipsum pariter fidelissime sacrum veluti pignus custodierunt, ad diem usque, in qua crux est tamquam divinae redemptionis simulacrum elata.

X.

PARASCEVE ERAT ...

Sanguis eius super nos
et super filios nostros.

(MATTH., XXVII, 25).

Quid, Solyma, exclamas horrendo abrepta
[furore?

Quod tantum, o demens, excidit ore nefas?

Tu divinum optas Christi manare cruorem,

Teque super fundi progeniemque tuam.

Compos eris voti. Descendet sanguinis imber,

Et te supremum merget in exitum.

Aspice: iam nubes glomeratur pulveris atri,

Proceditque minax litore ab occiduo.

Turbine de medio iam tela micantia cerno:

Terribili sonitu iam strepuere tubae.

Te vallo atque armis acies cinxere latinae:

Arietibus crebris moenia pulsa labant.

Interea furis, et conflas civilia bella,

Et te dilaceras viribus ipsa tuis.

Te macie obductam rabies agit improba ventris,

Quam sequitur morborum omnium acerba

[cohors.

Urbs antiqua, potens, multos dominata per

[annos,

E celso tandem culmine victa ruis.

Fumat humo, flammis superantibus, inclyta

[sedes

Quae fuerat veri numinis, alma Sion.

Sic tu persolvīs sceleratas denique poenas,

Inque tuum redeunt impia vota caput.

A. BASILI.

AESTHETICAE NOTAE

De aesthetica voluptate
quae vulgo « gustus aestheticus » dicitur.¹

II.

Peculiaris actio mentis ad pulchrum, *contemplationem* vocari diximus, quae a S. Thoma definitur: « Perspicax et liber contuitus animi in percipiendis ».² Aliis verbis *contuitus* vel *intuitus* hic mentis est pulchritudinem immediate apprehendere et in eius apprehensione conquirere. Pulchrum enim est obiectum formae « claritate » elucens, ideoque per immediatam sui ostensionem facile intellectum movet ad contemplationem, eumque defixum tenet in obiecti admiratione et voluptate.

Haec mentis operatio primum differt a cognitione ad scientiam pertinente, seu « discursiva »; quae de principio cognito procedit in cognitionem alterius, quod erat ignotum. Hinc in cognitione « intuitiva » mens quiescere dicitur: ex adverso, cognitio discursiva motui comparatur, quia ex notis ad ignota progreditur.

Haec de contemplatione tenenda:

a) Contemplatio reipsa pertinet ad intellectum, sed principium et terminum habet in affectu, scilicet in delectatione et amore: « Dicendum quod vita contemplativa, licet essentialiter consistat in intellectu, principium tamen habet in affectu, in quantum videlicet aliquis ex charitate (amore) ad... contemplationem incitatur. Et quia finis respondet principio, inde est quod etiam terminus et finis vitae contemplativae habet esse in effectu, dum scilicet

aliquis in visione rei amatae delectatur, et ipsa delectatio rei amplius excitat amorem ».¹

b) In ipsa contemplativa virtute necessario invenitur pulchritudo: haec consistit in integritate, in debita proportionem et claritate, quae tria penitus in intellectu sunt. « Et ideo in vita contemplativa, quae consistit in actu rationis, per se et essentialiter invenitur pulchritudo, unde et Sap. VIII, 2 de contemplatione sapientiae dicitur: *Amator factus sum formae illius*.²

c) Omnes virtutes morales reddunt hominem aptum ad contemplationem, praecipue temperantia, quae reprimit concupiscentias maxime lumen rationis obscurantes, et castitas, quae delectationes corporeas, mentem attrahentes ad sensibilia, fugit.³

d) Primo et potissimum divinae veritatis et pulchritudinis contemplatio ad vitam contemplativam spectat, quia huiusmodi contemplatio est finis totius humanae vitae: disposite vero, et quasi secundo, divinatorum effectuum seu veritatum et pulchrorum contingentium contemplatio.⁴

e) Quamvis unico actu contemplatio perficiatur, per varias tamen animi operationes ad eam homines perveniunt, ut visione, auditione, lectione, meditatione; cogitatione, consideratione...⁵

f) Ipsa admiratio, quae est species timoris consequens apprehensionem alicuius rei excedentis nostram facultatem, est actus consequens contemplationem sublimis obiecti.⁶

Contemplatio igitur ex parte quadam in effectu consistit. Phantasia autem mirabili modo contemplationi cooperatur. Praestantia enim et vivacitas phantasiae

¹ S. THOMAS, *ibidem*, a. 7, ad 1.

² *Ibidem*, a. 2, ad 3.

³ S. THOMAS, *ibidem*, a. 2, c.

⁴ *Ibidem*, a. 4, c.

⁵ *Ibidem*, a. 3, c.

⁶ *Ibidem*, a. 3, ad 3.

¹ Cfr. fasc. sup.

² S. Theol. II^o II^o q. CLXXX, a. 3 ad 1. - Haec definitio quam refert S. Thomas, est Richardi de S. Victoris. - Cfr. *De contempl.*, lib. I, cap. IV in prine.

in recipiendis, retinendis, reproducendis, ordinandis in semetipsa rerum sensibilibus imaginibus, ipsis obiectis absentibus, efficit ut mens prompte, libere et clare, idest « intuitive », proprietates perfectionesque illarum rerum essentiales contempletur, admiretur, seu rationem pulchritudinis in eis apprehendat. Ex altera parte ipsa praestantia et vivacitas phantasiae ope suae repraesentationis, vim nervosam (fluxum vel effluvium nervosum) excitat, properat motus cordis, viscera commovet, animum omnesque vitales spiritus inflamat; inde emotiones, affectus, aestus; hinc raptus et exstases, quas aliquando patiuntur eximii amatores, iudices et pulchrorum operum artifices. Et vicissim affectus phantasiae inflammant, eamque ad agendum velociorem reddunt.

Igitur externorum sensuum praestantia phantasiae deservit, praestantia phantasiae directe operationi intellectus affectuumque motioni suam operam confert. Propter haec et alia nobilissima munia phantasia fertilis, viva, aequae librata, summis laudibus prae sensibilibus facultatibus merito ad caelum tollitur. Ex adverso qui segni aut ignava, qui nimis vivaci et effrena phantasia donantur, ii male dispositi sunt ad pulchrum gustandum.

Hisce positis, iam ad aesthetici gustus definitionem proferendam eiusque elementa enucleanda procedere possumus.

(Ad proximum numerum).

G. LEPORÉ.

Magis cogitare debetis quid vobis desit, quam quid vobis adsit: quod habes, cave ne perdas; quod nondum habes, supplica ut habeas: in quantum sis minor est considerandum, non in quantum sis maior. Si enim cogitas quantum praecessisti alterum, time tumorem; si vero cogitas quantum tibi deest, ingemiscis, curvaris et humilis eris, tutius ambulabis, non praecipitaberis, non laberis.

S. BERNARD, sup. Cant., serm. LIX.

EPISTOLARE SOCIORUM COMMERCIIUM

De nuper natis nominibus latine reddendis.

Iacobus Tasset Iosepho Fornari doctori salutem dico.

Res novas verbis usitatis ego, tu novis, e concordi studio, licet diverso, aggredimur dicere. Nomina nuper inventa – licet enim, semperque licebit – perge producere. Transferendos in omnes ego sensus, adhibere qua ratione ac via possimus verba de more electa, innumerabilibus amotis ostendam artium vocabulis.

Mensuras enim dierum atque noctium Caesar *ex aqua* mavult, quam officinarum *clepsydra* dictione significare. Nomina quo tandem pacto possemus, ex omnibus linguis, nova et vetera in sermonem nostrum, pari numero ac opus sit, congerere, quum quatuor haec anglica: *mister, esquire, sir, gentleman*, sententiarum certis distincta locis, gallica *monsieur* una dictione cogemur reddere? Verborum millia decem denis centenis millibus signandarum rerum sufficiant oportet. Ideoque quid cuiusque rei sit insigne quaerimus, et quo tandem verbo, potissimum sit ea nota demonstranda.

Nominis alieni vim vel in ipsius perscrutemur articulis: ut incorporalis illa *automobilismo*, quae dicitur, notitia *per vires suas* (auto) *agendi vehiculi* (mobil) *ratio* (ismo) est. Sed ad rem subiiciendam oculis novam, novo quid opus est verbo, quum nominis usitati novus abundet usus? Currus enim pedestris gestationes, rotas citas cohortes, milites a rotis qui praefecto suo sint, et facta pedibus ac rotis itinera, perennis videt animus, mutationis expers. Et sicut coniunctae syllabae inter se, verba nihilo secius composita sensus efficiunt quoscumque voles.

A remis agendis ut sumam exempla: scapha remis vel scalmis est per transtra *singulis* aut *binis* instructa. Quod *single-banked, twobanked* Britanni, à *pointe* autem, à *couple* Galli dicunt. Ipsi *la godille* piscium partis instar posterioris, *intorto motu* vocant remum agendum. Sic: navigulam Venetus gubernator cubiculatam sinuosa remi motione propellit. Verum etiam *la pagaie* manibus solis sublevatur, quum scalmi careat fultura. Hyperborei carabos suos fulcri remis expertibus agitant.

Artificum autem stilos, caulium calamorumque figura, ad scribendum, delineandum, formandum atque fingendum utiles, pluribus quam pro rei necessitate nominibus vulgaris consuetudo appellat. Equidem: *ébauchoir, crayon, porte-plume, porte-crayon, porte-mine*. *Fictoris* est enim *stilus ligneus*, quo ceram mollem artifex format et fingit. Item *stilus metallicus* vena constat mollis (ut est plumbago) metalli, quae ligneo est inclusa caule. Vis delineare? stilum circumcide, et eius acue metallum. Generis eiusdem *stili* est *pigmentarius*. Colorem puer imagini stilis pigmentariis induit. *Rostrati* alii sunt, inter quos *iuges*. Non scalpit iam scriba calamum, neque pennam, quum vitreum habeat plenum atramento stilum, aureo stillantem rostro. Adde capulorum genera duo, quo metallicum stilum teneas, et quo metallum nudum. Gemelli veneunt etiam stili, caules sive capuli, catena iuncti, quorum alter metallum capit, alter humorem.

Quae quum ergo sint tuo, eruditorumque aliorum iudicio a me subiecta, qui probabilis nullus sermone vel patrio sum scriptor, nec orator: multo meliora proponent meliore nati Minerva. Cogitata temporis nostri si quis elocutus verbis erit ab origine semper et usque latinis, hi novi demum sunt flores, quos in campo latinistae diligens arbiter serat Herminius Iacobelli. Vale.

NUPER NATA NOMINA LATINE REDDITA

Iosephus Fornari Iacobo Tusseto v. cl. s. p. d.

Redeo ad te, o rerum dulcissime, ut ea, quae in ceteras voces a te propositas de nuper natis nominibus animadvertenda habuerim, expleam.

Res igitur, quae, a vestro vocabulo *quincaglierie* nomine in Italiam inducto, *chincaglierie* vulgo apud nos audiunt, tu *metallica* latine exprimere mavis. At *metallum*, ut explicat Forcellinius, materiam illam duram Latini semper nuncuparunt, quae ex terrae visceribus effoditur, ut aurum, argentum, ferrum, aes, plumbum, gemmas et sim.; ne dicam de vocabulo *metalla*, ad ipsam fodinam indicandam, unde metallum aliquod traheretur. Atqui ista *chincaglierie* non ex metallis tantum conficiuntur. Quod si mihi opposueris, interdum et cretam puteolanam inter metalla esse relatam, addam et ex alia quoque materie, ut vitrum, *minuta* haec nostra fabricari. Aedepol! vocem iam protuli, per quam *chincaglierie* latine exprimi deberi credo, Res enim minutae, sive *minuta*, generale apud Latinos nomen erat, quo scruta omnis generis vocabantur. In mentem revoca Ciceronem (*Cluent.*, 64): « In auctione quadam vidisse in rebus minutis aduncam et tortuosam venire serrulam ».

Linoleum, non meabilem texturam illam recens inventam, cui nomen apprime latinum imposuerunt, in *stragulum ex corchoro capsulari* vertere tibi placet. Nescio equidem an textura ipsa ex herba illa humili, altitudine palmum non excedente, quae in hortis et aquosis locis nascitur, fructu tenero, foliis pusillis, rotundis, in terram iacentibus (PLIN., *Hist. nat.*, XXV, 13, 92), deducatur; quemadmodum ignoro adiectivum illud *capsularis*, quod ex lexicis frustra quaesivi; scio ex adverso *stragu-*

lum de vestibus omnibus dici, quae sternuntur praesertim lecto, vel tricliniari vel cubiculari, docente Varrone (IV, *L. L.*, 35): « Quidquid insternebant (super culcitram), a sternendo, stragulum appellabant »: et prae mentis oculis habens illa Ciceronis (*Tuscul.*, V, 21): « Collocari iussit hominem in aureo lecto, strato pulcherrimo, *textili stragulo* magnificis operibus picto ». Atqui nunquam audiui *linoleum* illud ad lecti tegumen adhiberi! ... Neque ad tapeti tantum usum fabricatur. Itaque non dubitabo, ubi necessitas intercedat, rem suo nomine significare, additis verbis « ex linoleo ». Ita « peristroma ex linoleo; ornatus ex linoleo, etc. ».

Et venio ad *Lotteria*, quam in vocem latine exprimendam periphasim adhibes: « Ubi *sortes* ducuntur ». Cur non dixeris tantum *sortes*? Cicero tibi succurrit, qui in libro *De divinatione I* (c. 34 sub fin.) haec habet: « Quum oraculum ab Iove Dodonaeo petivissent, legatique *illud in quo inerant sortes collocavissent*, simia et *sortes ipsas et cetera quae erant ad sortem parata* disturbavit, et aliud alio dissipavit ». Quod si eas quae *sortes convivales* appellabantur consideraveris, videbis, ni fallor, ab hodierna nostra *lotteria* tantum distare, ut... unum et idem fiant. An repetamus? In mensa, lusus causa, soliti erant Romani tabellas inaequalissimarum rerum, obsignatas et clausas proponi offerentibus, pretium, et etiam interdum gratuito convivis distribui in cochlearibus quandoque inscriptas. Possessor deinde quisque suam tabellam resignabat, et alius quidem rem pretiosam parvo admodum sibi deberi, alius aliquo pretio rem nihili reportasse reperiebat. Itaque Lampridius de Elagabalo narrat (Cap. XXI, ad fin.): « Sortes sane convivales scriptas in cochlearibus habuit tales, ut alius (nempe convivae sors) exhiberet decem camelos, alius decem muscas, alius decem libras auri, alius

decem plumbi, alius decem struthiones, alius decem ova pullina, ut vere sortes essent, et fata tentarentur ». Ceterum de eiusmodi sortibus tu optime nosti esse integrum Martialis librum XIV, in quo epigrammata 1, 19, 40, 144, 177 de variis sortium praemiis mentionem faciunt.

Nec denique argumentum deseram quin addam et donorum, quae sortes tribuant, nomen latinum. Ea *apophoreta* dicam, vocabulo a Martiali (ibid.) desumpto.

Restat ut de *bomboniera* sermonem faciam, quam quidem *thecam dulciariam*, - vel, si tibi magis placet, *dulciarium* - ad ultimum demandavi, ut te, amice suavissime, dulci ore relinquerem: hinc enim saltem tibi assentior. Vale.

P. S. - Haec scripseram, quum litterae tuae, superius relatae, ad me pervenerunt. Candide fateor, me plane percipere non posse utrum ego magis, an tu, novis verbis nova verba indicare maluerimus. Ceterum optime ais, ambos concordii studio ad latinitatem provehendam intendere; itaque facile in unam sententiam pedibus ibimus. Quod ad nomina attinet, quae iuxta rerum adiuncta a vulgari populorum lingua propriis uniuscuiusque vocabulis nunc exprimuntur, tantam difficultatem non video: suffecerit, puto, eadem adiuncta per adiectiva, generali substantivo nomini applicita, reddere. - Et iterum, iterumque vale.

I. F.

FLORALIA

Ad Ver magnis itineribus adventans occurramus, et de floribus argumentum persequentes, quae *hyacinthum* spectant hodie in primis adnotemus.

Hyacinthus in omnes prope colores tum naturae, tum artis felici conspiratione fa-

cilis Vertumnus, modo candidus monstrat nigra vaccinia eximie posse exalbescere, ut alba ligustra alieno candore victa penitus cadant; modo cinereus florem Phoenicem se probat, qui cineres animat; modo ex albo rubens humani vultus formosam temperiem pulcre transformat in florem; modo caelo concolor Archimedes ludit, dum caelum angustius contrahit; modo colores alios mille non fictos et breves, sed veros et constantes vario e statu trahit, ut admirationis filiam, fugitivam Iridem, provocet et superet; modo polyanthes numeroso se flosculo convertit, ut unus flos hortus sit.

Folia illi oblonga, porri foliis plerumque angustiora, et breviora, carinata, levia et splendentia: caulis teres, enodis, glaber, fungosus, digito saepe minimo gracilior, interdum quoque digitalem ad crassitudinem proficiens, alias florea turri superbus, alias onere felici languidus: flores a tubulatis angustius in calathi formam repandi, lillii divisura per oras reflexi, a medio plerumque, nonnunquam etiam ab imo caule ad summum, nunc in latus, nunc per ambitum, modo densata, modo rara serie digesti: semen in triangularibus valvulis exiguum, rotundum, nigrum: bulbosa radix intus candida, et, quemadmodum etiam tota herba, lento succo glutinosa.

Indici hyacinthi, sive *asphodeli* ad nos translata tuberosa radix, ex qua ille cum vita tuberosi nomen accepit, oblongum botryodis odorati hyacinthi bulbum imitatur: carnis et subnascentis calli duritiem superat: nimium sui prodiga, et raritatis gloriae officiens, innumeros toto corpore parit haeredes. Ineunte vere, folia emittit in terram convexa, prolixa, digitum lata, in cacumen deficientia, viridi laevose nitida: caulem impellit fere bicubitalem, duriusculum, laevem, geniculatum, breviter e geniculis folia fundentem, minimo nunquam digito crassior, numerosis floribus cacumen onerantibus uberrime spica-

tum. Hi, succo pleni, degenerare a patriis Indis lacteo vultu oculis, odoratissimo spiritu naribus suavissimi, aurei mali floribus aequales, ab ima parte particulatim sese explicantes, aestivis mensibus ad hiemem usque vernant.

* *

Post hyacinthum, *paeonia*.

Vetustissimum et saluberrimum inventum, montanae opacitatis filia, horticulturno urbano splendore donata, atque Hispano praeconio « montium rosa », Paeonia, minore florum in populo speciosissima superbit; quae confertissima foliorum congerie peramplum explet ac perficit orbem absolutissimae formositatis; utque iudicibus oculis triumphet, triumphali tum saturatae, tum dilutae purpurae splendet ornatu. Si ardentius purpuret, flore sensim exalbescit et caduco, fere intra dies octo deflorescit, bipalmi nititur caule carnosissimo et brachiato in folia ramosa, rarius fimbriata, vegeto colore splendida, inferius caesia et lanuginosa.

Radice gignitur praecrassa, torosa, foris subrufa, intus candida, oblongos et carnosos in balanos divisa. Sin laevius et suavius rubeat flos, paulatim e roseo pudore niveumin pallorem elanguescit, nativoque scapo pertinaciter adhaerescens immoritur, folioso cadavere primum nigrescente, tum emarcido, siccitate denique notabilem in modum contracto. Folia illi dilutiora et angustioribus laciniis concisa: radix praeterea contorta, crassa, dilutior, longioribus et gracilioribus nodis glandulosa.

* *

A montana rosa denique ad sylvarum rosam transeamus; haec est *Lychnis Byzantina*.

Lychnis miniato, sive coccineo flore multiplici, in oblongam, luteo colore nonnihil aspersam, densis, promissis et capil-

laceis fimbris comatam radicem gracilescit: in trium quatuorve palmorum caulem extollitur recto statu nitentem, striatum, geniculatum, bina ab nodulorum toris folia longula, e latiore basi in mucronem fastigiata, superne laevia, subter hirsuta pandentem, geniculatim in ramulos frusticantem. In flores ita lepide luxuriat: ex oblongis confertim in orbem circumactis atque striatis calyculis caulis vertici umbellam primum obtendit: ex illis deinde praegnantibus involucris floream pileam densissima serie circinatam parit: florem bellio brevior non admodum diversis, per ambitum bifidis, confertisque barbulis contextit.

ANONYMUS.

PRO IUNIORIBUS¹

Interea enim audacissimo Hannibalis itinere nuntiatio, Senatus Ti. Sempronium Longum ex Sicilia in regionem Padanam miserat. Hic partibus exercitus, quae separatim magnis itineribus per Italiam proficebantur, contractis, in urbem Ariminum, a nullo impeditus, cum Scipione sese coniunxit. Hannibal autem transmissio Pado Romanos ad pugnam lacessit.

Nam dum Magonem fratrem cum delectis militibus in sicco rivi cuiusdam alveo collocat in insidiis, equites Numidas trans Trebiam, quae tum creverat, misit. Ti. Sempronius levi de hostium equitatu victoria adductus, levis armaturae milites et, quum hi premerentur, totum exercitum flumen traiecit. Sed in altera ripa Romani ab Hannibalis exercitu ad pugnam parato exspectantur, validiore equitatu, aucto etiam elephantis, circumveniuntur, Mago-

nis manu ex insidiis erumpente, a tergo petuntur.

Romani, ea pugna prorsus devicti sunt: pauci Placentiam et Cremonam, urbes munitas, pervenerunt, et, quod tota Gallia Cisalpina ab Romanis deficiebat, Hannibal in Gallia in hiberna concessit et magnopere auxit exercitum.

Deinde, anno CCXVII pugnabit ad lacum Trasimenum. Eum in annum Romani C. Flaminius hominem popularem et Cn. Servilium consules creaverant. Illum exercitu praesidio esse iusserunt Hetru-riae, hic exercitum constituit ad urbem Ariminum. Hannibal quum primo vere Appenninum transisset, incredibili labore quatrinduo per aquam profectus est in valle Arni fluminis tum super ripas effusi, quo in itinere ipse inflammatione aliqua altero oculo capitur. Id enim agebat Hannibal, ut Flaminius, priusquam collegae advenisset exercitus, pugna lacesseret, et, quod ad meridiem versus proficiscens agros uberrimos vastabat, hoc consequutus est, ut Flaminius subsequeretur. Praeterit ipse urbem Cortonam, et ad lacum Trasimenum pervenit. Hic via est iuxta lacum ad orientem versus, versus septentriones planities patet angusta, clausa collibus. In his Hannibal clam etiam per nebulam copias constituit. Ex his collibus Poeni, dum Flaminius sequitur nihil opinans et incautus, in eam viam decurrentes, totum fere exercitum Romanorum faciunt.

Romani, tanta clade audita, ingenti perturbantur terrore. Ad extrema parati Q. Fabium Maximum dictatorem dicunt. Sed victor ad opulentiae urbis oppugnationem se infirmiore arbitratu, non Romanam contendit, sed trans medium Appenninum per Umbriam et Picenum profectus est ad oram maris Adriatici. Inde, quum pedites Libyes captis Romanorum armis instruxisset, ad meridiem se convertit in Apuliam, et rursus Appenninum transgressus, per Samnium in Campaniam. Sed ta-

men in iis itineribus frustra conatus est ad se perducere gentes Sabellas, quae fidelissime stabant cum Romanis: iam enim, quum averso animo viderent hostem alienigenam ad se venisse, se tamquam unam nationem Italicam habere coeperant.

Romanorum dictator hostem certo intervallo sequitur, pugnam devitat. Sed quum Hannibal a Campania rursus per Samnium in Apuliam signa converteret, Fabius praecoccupavit angustias Casilinienses, ubi Volturno flumine et despectu coartabatur. Sed ille dolo viam patefecit. Itaque Fabius, cui Cunctator nomen inditum est, ut ducendo bellum novas Romanorum clades excludebat, sic hostem nec frangebatur, nec impediatur, quominus in Apulia hibernaret.

(Ad proximum numerum).

A. HABERL.

COMMUNIA VITAE

GRATULATIO¹

Colloqui personae sunt:

FERDINANDUS, *Adolescens plena atque rubente facie, magis ludorum quam litterarum studiosus.*

ADULFUS, *Adolescens macie confectus, ludorum et ipse cupidus.*

MICHAËL, *Adolescens pacatus et sciendi desiderio praeditus.*

ALFONSUS, *Adolescens litterarum studiosus et aliorum derisor.*

¹ Colloquium hoc in scenam prodiit per humanarum litterarum alumnos Collegii Vicensis in Hispania, quum R. P. Nicolaus Garcia, supremus Moderator Congr. I. C. M., renunciatus est v Id. Oct. MCMXXII. Hic ita est accommodatum, ut in aliis quoque ephebeis pro opportunitate agi queat.

ANGELUS, *Adolescens rerum cognitor, maiore aetate, atque ideo dignitate apud alios pollens; idem in poetis latinis versatus.*

FERDINANDUS, ADULFUS, MICHAËL, ALFONSUS. *alacriter ingrediuntur.*

FERD. (*animose*) Heus, sodales, bene nos!

ALF. Quid fit, Ferdinande? Namque videris gaudii plenus.

FERD. Rogas? O lepidum diem! o necopinatum eventum!

AD. Ne mireris, Alfonse: istaec remissionis est dies.

MICH. Equidem; mos est Ferdinando magna affici laetitia omnibus remissionis diebus.

FERD. Quidni magnopere laetari dum molesti dormire pergunt libri?

ALF. (*ironice*) Ah, teneo!

AD. Si verum dicam, otia quoque me iuvant, meamque valetudinem non parum fovent.

ALF. (*ut supra*) Attamen invalido Ferdinando detrimento sunt: ad eum oculos adiacite:

Pallor in ore cedet, macies in corpore toto.

OMNES. Ah! Ah! Ah! (*Cachinnos tollunt*).

FERD. (*valde iratus*) Siccine me derides?

MICH. Bona pace feras, mi homo: Alfonsus iocatur.

FERD. Sed nefas est ita impudenter de alio iocari.

AD. (*seorsum*) Aedepol! Formido male!

ALF. (*demisse ad Ferdinandum accedens*) Ignoscas, obsecro, amice: tuum movere stomachum in animo non erat.

MICH. Illud apagite, (*ad Ferdinandum versus*) ne laetitia tua, Ferdinande, vertatur in luctum.

FERD. Optime Michaël, tibi morigerum me esse volo: omnia a me oblivioni dabuntur.

AD. (*subito interpellans*) Ecquando ludum aggrediemur?

FERD. Quod ad me attinet, quamprimum: sed quonam in ludo ducemus tempus?

¹ Cfr. fasc. sup.

ALF. (*comiter atque benigne*) Tibi optio, Ferdinande!

FERD. Atqui vos non latet, me admodum oblectari pila.

AD. Ergo, eo pilas ut afferam. (*Discedenti occurrit ANGELUS*). Sed ecce, adest socius noster Angelus.

Ingreditur ANGELUS.

ANG. Salvete, sodales.

AD. Salvus sis, Angele.

MICH. Gratane nuncia?

ANG. Et quidem gratissima, ut opinor.

MICH. Profecto tū semper omnia nosti.

Age! nobis, ut soles, aperias animum.

ANG. Prius vos quadam interrogatione volo.

ALF. Quidquid lubeat, amice.

ANG. Quisnam in vobis est quin viderit domi quosdam venerabiles viros aetate, ut plurimum, provecta, atque nonnullos etiam capillis perfusos canis?

ALF. (*indicem erectum porrigens*) Qui caecus sit, digitum erigat.

AD. Vidi ego plures meismet oculis.

FERD. Non aliter ego.

MICH. (*ad Angelum*) Et quorsum, rogo, tam venerabilis coetus?

ANG. Quorsum spectent hi, quot numero, qui sint undequē venerint meas nuper pervenit ad aures.

ALF. (*magnam ostendens laetitiam*) Babbae! quam cumulate mihi grātum facies, si haec omnia perpetim expones.

MICH. Ordinaris, et mitte ambages.

AD. (*ad Michaelem vividus atque impatiens*) Sed nunc tempus est ludendi; saltitandi aviditate immoror. (*Ad Ferdinandum versus*) Si quem iuvabit pila ludere, ille mihi commodet.

FERD. Tibi adhaereo, Adulfe: vos ignorete, socii.

AD. Angele, pace tua sit ius, liceatque nobis lusum adire.

ANG. (*suaviter*) Bene currite!

ALF. (*malitiose*) Ne pedem offendatis!

(*Sequitur*).

E. Iovē.

ANNALES

Germaniae per Gallos et Belgas occupatio.

Gallis, ob carbonis debitum sibi non solutum, Ruhris Germanicae regionis loca occupantibus, Belgae accesserunt, qui suas copias Wesel et Emmerich in urbes miserunt. Quum autem Germani acriter in dies obsisterent neque tantum fodinarum ab operibus ex conducto secederent, sed renuerent effossum carbonem ferriviis transportare, Galli impediunt quominus primum carbo, deinde quaevis metallorum genera aut ex metallis fabrefacta in alias Germaniae regiones inveherentur; quin etiam et Germanicis libera administris itinera negarunt, nullum momentum eorum protestationibus tribuentes. Praeterea una vel altera sub specie necessitatis invasiones suas ulterius produxerunt, et in Badensi provincia Offenburg et Appenweiler urbibus potiti sunt, atque, iuxta Rheni fluminis oras, Koenigswinter et Caub territorii. Ad ferrivias denique agendas opificum quatuor millia et quingentos ex Gallia vocarunt.

Facile patet quaestionem in dies circumplicari, eoque magis quod hinc Galli quamlibet mediationem respuant; Germani inde in tenacibus propositis suis perseverant.

* * *

Inter Lithuanos et Polonos discrimen.

Nescimus an huiusmodi eventus influerint in Lithuanorum illum motum, quem in superiore recensione nostra nunciavimus, quique in apertum Lithuanos inter et Polonos discrimen manavit, nec adhuc componi valuit, quamquam primis Februarii mensis diebus nunciatum fuerat bona utrinque voluntate Lithuanos Memel

* * *

Italorum in Tripolitania progressus.

Notum est Afros, ex recenti bello, cuius Itali erant participes, occasionem nacti, gradatim in Tripolitana Italorum colonia loca plura occupasse; nunc vero Itali ad ea recuperanda intenderunt; quod quidem felici exitu in dies exsequuntur.

Kalendis Martiis MCMXXIII.

POPPLICOLA.

VACUI TEMPORIS HORA

Qui fit, lectores humanissimi, quod appropinquante vere sopor insolitus nostros occupet artus; quod somni tantam necessitatem ultro sentiamus? Fateor me omnino ignorare, gratiamque ei referam qui rem mihi enodet, dum omnes ego mea vice admonebo **quo ritu sit dormiendum**. Plerique enim homines eo statu lecto incumbunt, non quidem somno virium plane restitutori favorabili; quin etiam gestibus motisque valetudini apprime noxiis.

Qui igitur sanitatem docent - (*hygienistae*, graeco vocabulo hodie appellantur) - rationem quiescendi castigatam et salutarem commendant, praecipue circa modum aptandi brachia. Optimus prorsus est habitus iuxta dexterum latus iaciendi, laevo brachio omnino sibi ipsi relicto, dextero autem ita recurvo, ut manu caput sustineat. Caveas ne pectori brachia applices: compressus enim, quem in cor exercent, incuborum est causa, nimisque et inutiliter vitae hoc maximum organum defatigant. Peius, si iuxta tergum cubaveris, manibus sub capite decussatis; namque status hic sanguinis circuitionem im-

urbem dereliquisse et intra limites regionis suae esse reversos. Discrimen est de « zona neutra » inter utramque civitatem pro tempore relicta, quam altera ab altera accusat fuisse violatam. Certum apparet Lithuanos ad Memel urbem tendere; Polonos nolle eam a sua ditione abstrahi.

* * *

Lausanensis conventus.

Lausanensis conventus de pace Turcas inter et Graecos componenda eundem sortitus est exitum, cui iamdiu assuevimus: namque post tantos labores, quum ad foederis conclusionem ventum est, negavit Turcicus legatus ei subscribere. Ne omnia in vanum cederent, Italorum, Anglorum Gallorumque legati conati sunt imperiosis Turcarum postulatis accedere. Itaque proposuerunt Mossoul urbis possessionem ad peculiarem disceptationem demandari, infra annum habendam, relicto interim ut nunc est rerum statu; pariterque mutuas pensiones inter partes recto tramite vicissim esse tractandas atque deficiente concordia ab arbitris ab utraque parte electis definiendas; simulque oeconomicas quaestiones alias, de quibus dissensio intercederet, singillatim intra sex menses diligenter perpendendas. Frustra omnia! Ismet ille princeps fassus est sibi ab Agorensi coetu nullam accommodationis potestatem esse concessam, ideoque... is Agoram profectus est, ceterique legati in suam cuiusque civitatem.

Paucis post diebus ex improvviso Turcicus Smyrnae navarchus exteras naves omnes iubet abire; recusant illae et guberniorum suorum nomine vim vi repulsuras sese minitantur; claudit alter portus accessum... Res hoc ritu componitur, ut una singularum nationum navis in Smyrnaeis aquis possit permanere. Quorsum vero evadet Turcarum animus tam dementer elatus?

pedit, quaeque inde evenire possunt incommoda provocat...

Debitas itaque hasce cautiones, debetamque diligentiam in somnis adhibete atque arctius diuque in quiete dormientes ver accipiatis!

* *

Interim ad Bernerium transeamus, e cuius iocosis carminibus unum hodie deprompsi cum proximis diebus magis congruens. **Mos** describitur **puerorum feria quinta et sexta Maioris quae dicitur Hebdomadis, dum aera campana silent;** qui quidem mos in nostris pagis adhuc viget. Quamquam malitiosus ille lusus cives – neque tantum illis diebus – obtundendi, ab urbibus non adhuc migravit:

Christiadum pietas sacris cum rite diebus
Humanae recolit grande salutis opus.
Nempe Redemptoris memorat lacrimabile funus,

Tormenta et dirae multiplicata necis.
Moeror corda gravat, tristis natura laborat;
Crescit ubique dolor, cunctaque fletus habet.
Non sonus auditur, quo nos ad templa vocamus,

Et prope qui tempus Vesperis esse monet.
Prae moerore silent; suppleant quae lignea, causant

Instrumenta sonum: his Vesperis hora datur.
Est tabula ad geminos palmos producta, sed unum

Per palmum lata est, quae leve pondus habet.
Hanc puer impugnat dextra, exstat quippe foramen,

Aptatur facilis cui bene clausa manus.
Inde citus properans agitat versatile lignum:
Ferreus sic edunt pondera mota sonum.
Saepius hunc sequitur puerorum coetus euntem,

Ut socium iuncto turba fragore iuvet.
Mallei ad instar habet quisquis portatile lignum;

Imponens humeris hoc prope colla gerit.
Incedunt pueri: en fortasse domum esse locandam

Fixa super tabulam pagina scripta docet.
Impugnant iunctis manibus vibratile lignum,
Atque simul sistunt protinus ante fores.
Utraque tunc celeres extollunt brachia: vires
Dat motus, quo fit fortior ipsa manus.
Motum quum faciunt humerisque iuvantibus ictum

Vibrant, et replicant, ocyus inde abeunt.
Tunc sibi dant plausus pueri, maioraque tentant;

Scilicet audaces exitus iste facit.
Ipsas ergo domos, quas occupat incola civis,
Percutit interdum, sed fugitiva cohors.
Saepe luit meritas nimia haec audacia poenas:
Nempe hos contra ictus, ultio saepe latet.
Incola dum pueros repetitis ictibus audit
Clamantes, abdit se, insidiasque parat.
Expectat cautus pueros, nam ianua clausa est,

Et super imposita est clausa fenestra domus.
Paullatim hanc aperit, manus inde citissima plenum

Vas sordentis aquae proicit in pueros.
Hos, lapso imbre, lavat, qui auras clamoribus implent,

Et iam deceptos nil fuga sera iuvat.
Ergo citi excutiant vestes, dimittere guttas
Curant, nam madidum quemlibet esse putet.
Territa non ideo est, ictus nec turba retardat,
Incoepum pueri quippe sequuntur iter.
Vespere dum psallunt Confratres templaque cunctis

Lata patent, nugis hic quoque causa datur.
Dum sacras canit, et claudit pia turba querelas

Dans voce extremas languidiore notas,
Impugnant virgas Confratres, quilibet unam,
Ut mox concutiat scamna propinqua manus.
Accurrunt pueri, quo hic ictus ictibus addant:
Extrema hoc templi in parte paratur opus.
Ipsis in gradibus trabs magna extenditur.
Adstat

Expectans signum, quod datur, ergo cohors.

Dextram agitat quisque, impatiens designat
[et ictum,
Pileum humi ponit, robore membra replet.
Vix audit strepitum virgarum, quum, impete
[facto,

Subiectum in lignum malleus ecce ruit.
Non hic deficient vires, nec membra fatigat
Ipse labor, nulla est percutiendo quies.
Custodes templi accurrunt, puerique iubentur
Sistere, sed iussos non removere valent.
Impugnat tandem baculum vibratque minister;
Sic pueros saevis ictibus ille fugat.
Eheu hominum pravi mores! his ergo diebus
Immiscet sacris plebs malesana iocos?
Dum pietas lugere docet lacrimasque ministrat

Cordibus ipse dolor, gaudia vulgus amat?
Saepe at ludentes, caeli facit ultio flentes;
Qui lugendo sapit, gaudia flendo capit.

* *

locosa

Tuccius in schola.
Magister: – Si in terram pilam ieceritis, currit, quia rotunda est...

Tuccius, Magistri orationem interrompens: – Atqui et nos currimus, neque tamen sumus rotundi!...

Magister hominis sensus discipulis explicavit, Tucciumque interrogat ut sibi persuasum habeat illum intellexisse:

– Heus! igitur: cui sensui oculi tui inserviant?

- Visui.
- Nasus?
- Odoratui.
- Tuaeque aures?
- Auditui atque tactui.
- Barde, ut vis aures tactui inservire?
- Nolo equidem ego: sed tu meas au-

res ad tactus ministerium adhibes, dum eas mihi vellis!

* *

Aenigmata

I.

Humani princeps generis *pars prima*; Qui-ritum
Altera pars quondam vile numisma fuit.
Additur haec illi? Visu mirabile! prodit
Insignis specie duritieque lapis.

II.

Nescio mutari: recte seu lecta retrorsus,
Non cesso fauces urere saeva tuas.

Aenigmata in superiore fasciculo proposita his respondent: I) *Lacus, Locus, Lucus*; II) *Cur-sus, Ursus, Coursus*.

IOSFOR.

LIBRI RECENS DONO ACCEPTI

I. B. FRANCESIAE *De Ioanne Bosco commentarium*. – Augustae Taurinorum edidit Societas Editrix Internationalis, *Corso Regina Margherita*, 174.

Can. Prof. FRANCISCI QUATTRONII *In Ferdinandum Peccium Chrysanthema* a. d. xv. Kal. Maias MDCCCCXXII ab eius obitu semel anniversarium. – Rhegii Iulii, ex typogr. Francisci Morello Equitis, MDCCCCXXII.

I. CACACE – *Otia Neapolitana*, carminum fasciculus.

C. G. POZZETTI – *Macrino D'Alba*. – Albae, ex typ. « cooperativa », 1922. – (Ven. lib. 2).

AD FONTEM BELLAQUEI

1]

ACTIO DRAMMATICA I. B. FRANCESIA.

PROLOGUS.¹

Non est qui nesciat, elapso saeculo,
 Imperitaret Gallis quum Napoleo,
 Plura gessisse fortiter Pontificem,
 Pium, qui merito salutant Septimum.
 Hic captus Urbe, de nocte, clanculum,
 Savonam truditur primum in custodia;
 In Galliam dein, laborans febribus,
 In ipso mortis asperae periculo,
 Huc illuc ducitur citra prudentiam.
 In Castro clausus Fontis at Bellaquei,
 Labores passus multos est, ludibria,
 Imperatoris odio et superbia.
 Hic imperator, clarus tot victoriis,
 Latis triumphis super tot exercitus,
 Omnes qui principes supergressus est,
 Indigne tricus, salebrosus, subdolis,
 Premit Pontificem, vexat insidiis,
 Mitis nunc vultu, tristis nunc alloquio,
 Ut mutet Pii dummodo consilium.
 Stetit sed ille fortis atque immobilis,
 Ut esset orbis roboris prodigium.
 Timens sed tandem, sua pertinacia,
 Ne totam Galliae nationem perderet,
 Est parum passus indulgere Caesari...
 Mentis at subito correptus stimulis,
 Datam retractat illico sententiam.
 Quid autem venerit, spectatores optimi,
 Qui tempestatem pepulit divinitus,
 Videbitis vos, si vacivis auribus
 Actionem brevem totam sequemini.
 Scio quod vultis vos mirati dicere:
 « Romanam linguam nesciit Napoleo,
 Fuit qui gallice semper usus loqui ».
 Fuit qui gallus, antea sed Italus! ...
 Ceterum dicitur vulgo per compita:
 « Romae si vivis, romane vivito! »
 Nos sic Pontificem loquentem fingimus;
 Latine et cuncti colloquuntur famuli;
 Ut illi, magnus loquitur Napoleo!
 At noster gerit qui personam Principis
 Studet, novitque linguam perfectissime,

Marcus qua inclaruit Tullius Cicero:
 Eum Ciceronem cognomento dicimus.
 Concordes ergo mecum omnes plaudite
 Poëtae, scripsit qui recentem fabulam,¹
 Totam depromptam notis ex historiae.

ACTIONIS PERSONAE.

PIUS VII, P. M.

NAPOLEO.

PACCA BARTHOLOMAEUS, *Cardinalis*.CALLISTUS, *Cancellarius*.ISIDORUS, *Antistes*.

PUERI, MILITES et PATRES CARDINALES.

Theatrum fit in magno Conclavi.

SCENA I.

ISIDORUS et CALLISTUS; *mox* PIUS VII et NAPOLEO.

Is. Tun'ergo?

CALL. Vidi! Magnis actus furiis

Pium vexabat aequo nimius Napoleo,
 Probrosus, audax et inexorabilis.¹

Is. Et ipse?

CALL. Et ipse, placidus et molliter
 Placare nititur regis ferociam.

Heu! aetas tristior nobis, nequissima

Novis in terris praeparatur proxime!

Hic imperator, hostium qui copias¹

Solet sua modo praesentia vincere,

Ipsosque saepe duos duces superat,

Ut iuncos teneros ad nutum subigit,

Indigne robor tolerat Pontificis,

Qui dulcis, mitis, frangat immodestiam

Eius, potenter turbat cor et implicat.

Quis scit quae saevior tempestas in-
 [gruat?

Adsunt in illo conclavi repositi!

Tribus horis, cunctis remotis arbitris...

*(Ad proximum numerum).*Dr. IOSEPHUS FORNARI, *Sponsor*.

ROMAE. - TYPIS POLYGLOTTIS VATICANIS.

¹ Prologus erit unus e pueris.